



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXII. Ioannis Papae VIII. Ad Lambertvm Comitem. Vt compescat sibi subiectos a malis quae perpetrabant; quos si emendare non potuerit, minatur illos se excommunicaturum: legatis multa ei viua ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA XXII.
 IOANNIS PAPÆ VIII.
 AD LAMBERTVM COMITEM.

Vt compeſcat ſibi ſubiectos a malis quæ perpetrabant ; quos ſi emendare non potuerit, minatur illos ſe excommunicaturum : legatis multa ei viua voce referenda ſe iniunxiſſe ſignificat.

Ioannes epiſcopus Lamberto comiti XXIII.

AB olim (ſi recordaris) ſalutem tuam atque profectum deſiderantes , & anima te ſaluari , & corporeis honoribus cumulari quæſiuimus & optauimus. Et quia nunc multo amplius hoc quam prius, fili cariffime, volumus ; ſcias paterno affectu a nobis te diligere, & vt ſpiritualem filium prorfus amplecti : quoniam honorem, atque tuum profectum, noſtram gloriam eſſe putamus, & de tuæ proſperitatis augmento in Domino gratulamur : vnde & tu non immemor noſtri, rogamus, vt ſemper & vt his quæ volumus, & quæ noſtrum de tuis hominibus pontificium pulſant, emendare nullatenus prætermittas. non enim ſperamus vt talia ſcias, qualia ab eiſdem tuis hominibus in noſtris finibus perpetrantur. Quæ oportet gloriam tuam ſtudioſe inquirere, & (ſicut condecet) pro Dei, & noſtro amore omni conamine emendare, quia tam hominibus ſancti Petri apoſtoli, quam hominibus Guidonis, tui homines (ſicut fertur) innumera mala faciunt, & rapinas multas exercent. Quæ rogamus ſtatim emendare facias, & tibi ſubiectis vltra tale quid facere non conſentias. Verum ſi id forte emendare te non poſſe fateris, vt cum pace tua dicamus, in prauos atque iniquos homines illos ob tui amoris dilectionem, tuo conſenſu adhibito, noſtri apoſtolatus ſententiam dabimus, & quouſque reſipiſcant, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſequeſtrabimus. latores vero præſentium miſſos apoſtolicæ ſedis, Acimundum ſcilicet & Vualpertum venerabiles epiſcopos dilectos noſtros ad tuam nobilitatem direximus, vt hi quod pagina reticuit, viua voce loquentes edicant, & reuertentes de tua beneuolentia nos latiores efficiant. Data XIX. Kalendas Ianuarii, indiſtione decima.

D iij